

Dies DIVINA

403

411

Dies AqVINATICæ Verba et VCtans,

Seu

Sapientia æterna

per opera sex Dierum

quasi in novo Ecclesiæ Archetypo
singulari Studiô fundans & infundens

Sapientiam verè supernaturalem

DIVI THOMÆ
AQUINATIS,

Theologorum Principis, Prædicatorum Gloriæ;
ac Universalis Ecclesiæ Patris,

&

Doctōris Angelici,



atque in ea die septimâ,

utpotè ejusdem SS. Doctōris gloriosæ in Patria quieti
ritu Anniversario sanctificatâ,
æternùm requiescens.

*In Basilica Vetro-Pragensi Patrum Sa-
cri Ordinis Prædicatorum ad S. Ægidium*

Panegyricè adumbrata

à

THEOPHILO STEHLIK de Czenkau & Treüstadt;
AA. LL. & Philosophiæ Magistro, Sacro-Sanctæ Theologiæ Bac-
calaureo Formato, ac Supremæ Laureæ Candidato, &
Zielefnsensium Curato actuali.

Cum Facultate Superiorum

Vetro = Pragæ, impressit Joannes Wenceslaus Helm, Annô ut suprâ.

Blas DIVINA
Dici ad Vincta Verba et / Graus

Sapientia aeterna

per opera sex Dierum
quasi in novo Ecclesie Archetypo
regulans studio fundans & instituens
sapientiam vere subornantem

DIVI THOMAE
AQUINATIS

Theologorum Principis, Praeceptoris
ac Universitatis Ecclesiae Paris

Doctoris Angelici

in quibus 22 Doctoris gloriae in Paris quae
non universitatis Ecclesiae
etiam instituitur

In Basilicae Praeceptoris Thomae 22
in quibus 22 Doctoris gloriae in Paris
Panegyricus adunatus

Theologiae 22 in quibus 22 Doctoris gloriae in Paris
A. A. 22 in quibus 22 Doctoris gloriae in Paris
Candidatus 22 in quibus 22 Doctoris gloriae in Paris
Theologiae 22 in quibus 22 Doctoris gloriae in Paris

Venerabilis Praeceptoris Thomae 22 in quibus 22 Doctoris gloriae in Paris

22 in quibus 22 Doctoris gloriae in Paris



divi
tion
ac o
facta
Phae
in la
Pfalt
id u
quan
quos
non
serie
tion

Gul
estis
ta o
ra, c
ritat
Coel
tibu
Jam
ra il
to p
gori
rum
tus
Reli
rum
Sigr

hod
nat
tatis
gens
dissi
Tul
eru
sub

ORATIO.

404

411



Non sum hodie Thales Milesius, neque crystallinas Archimedis æmulor orbitas, id tamen inficiari nequeo, me vel ad hoc natum esse, ut cœlum aspiciam. Qua sorte non me solum donaverat communis humanæ menti prærogativa, dum supremus rerum Arbiter, depressâ in imum brutali sensualitate, *O homini sublime dedit, cœlumque tueri jussit*, sed & individua parentelæ me agitare videtur hæreditas, ut citra præsumptionis notam sublimem alitum supervolans stationem astra petam, ac omnipotentis dexteræ in hæmisphærio prodigiosa in volem artefacta. Nec tamen cereis Dædali sustollor pennis, nec effrænibus Phaëtontis lora laxare gestio quadrigis, neque cum Cherub extento in lateribus Aquilonis imaginaria meditor solia, sed unicam cum Psalte Regio in sublime hodie luctantem solari desidero pupillam, id unum in votis reiterantem: *Quoniam videbo cœlos* (a). Cœlos inquam, non illos, quos creatrix universo superinduxerat Potentia, sed quos Verbo suo illustrandis fidelium mentibus præfecerat Sapientia; non illos, quos sublunarium venustati per continuam generationum seriem sublevandæ instruxerat natura, sed quos supernaturalis adoptionis Filiorum DEI augendæ felicitati Divina destinaverat Gratia.

Vos videlicet hodie appello, Aquinatis Jurati Asseclæ, Gusmannæ Felicitatis præclari Hæredes, Prædicatores Eximij. Cœli estis Fulgidissimi, *quot enim sunt bona prædicantium; tot sunt ornamenta cœlorum.* (b) Cœli estis, quorum influxu veritatis germinat terra, quorum fulgorem puritatis celebrat æther, quorum centro charitatis inhiant flammæ, quorum fervore pietatis liquantur undæ. Cœli estis, sive radiantes in Gusmannis, sive splendentes in Aquinatis, sive irrorantes in Odrovansijs, sive fulminantes in Ferrerijs: Jamque in aurora frontes cumulatis sideribus, jam in aprico pectore illustratis Apolline, jam in occasu futuræ fidei serenitati cruento præluditis vertice, jam in septentrionem disgelando cordium algori suam etiam ad antipodes delegatis favillam. Cœli estis, quorum ut duodenum numeris omnibus adornaret Zodiacum Benedictus Vester, ac totius Ecclesiæ Sanctissimus Apollo, meritò ad novum Religionis Vestræ sublime Decus Politianam novissimè fastis Sanctorum annexuit Virginem, quâ per undena hætenus discurrentem Signa assertæ Sanctitatis vestræ Solem etiam in Virgine collocaret.

At quis iste Sol hujus tam amati tam animati Cœli? Dicerem hodie A.A. OO. dicerem *Illustrissimum Christiani Orbis Decus* (c) Aquinatem *Clarissimum* esse Ecclesiæ Lumen (d), sive sub nube velatæ Sanctitatis adumbratum, sive illustribus fœderatum umbris, sive anno præfulgens Jubileo, sive Virtutis ac Scientiæ luce vitiorum ac ignorantiae noctem dissipans, sive tandem diei præsidens & nocti (e), nisi antesignana tot Tulliorum eloquentia elingvi Thema eripuisset dictioni. Dicerem erumpentes Thomæo pectore favillas aded non modò Prædicatorum sublime Cœlum, sed & universum orbis illustrare horizontem, ut

(a) Psal. 8.
v. 4.

(b) S. Greg.
hom. 30. in
Evang.

(c) Breviari
Prædic.

(d) Pius V.
in Bulla Ann.
1567.

(e) Thematæ
præcedentium
aliquot Oratorum.

r
C

resplendente hōc supremō Luminari reliquæ quantumvis fulgidissimæ Scientiarum stellæ obnubilentur: Sed verat vel ipsa THOMÆ ac Prædicatorum Gloria THOMÆ hodie ac Prædicatorum Gloriam enarrare, dum illa, quasi primum mobile soli primo Motori ductu suæ Motricis intelligentiæ innixa, singulari præmoventis Divinæ Dexteræ acta studiō, soliusque supernæ ab intrinseco efficaciam adorans prærogativam, omnes suos non nisi ad inaccessibleem Divinitatis Lucem assidue reflectit radios, Solem Divino mutuatur à Sole, Lumen accendit de Lumine, ac ipsam solemnissimam Aquinatis diem non aliam quàm diem Domini recognoscit. Jurat illa equidem, in Doctrinam THOMÆ, sed quia in Doctrinam DEI; veneratur summam Sapientiæ apicem in Angelica Aquinatis sui Summa, sed quia ad summam Scientiæ Divinæ Diphtram adaptata; gloriatur tantis Luminaris sui adornari splendoribus, sed qui desurfum à Patre Luminū evibrantur; cernit etenim perenni substratum gratitudine ipsum THOMAM cunctos Sanctitatis & Scientiæ suæ motus in unum Divinitatis scopum concentrare, dum æmulā Salvatori modestiā ingeminat: *Mea Doctri-*

- (f) *Joan: 7. v. 15. na non est mea (f) quia non est secundum hominem, neque enim ego ple-*
(g) *ad Gal: 1. v. 12. videlicet Abyssus THOMAS Abyssum invocat (h); sic accensus in-*
(h) *Pf: 41. v. 8. THOMAS pectore Sol in Solem redit, sic Dies Diei nunc omne*
(i) *Pf: 18. v. 3. eruat verbum (i), postquam Dies Diei omne prius Verbum eruatset.*
(k) *Pf: 18. v. 2. & 3. Jure igitur sublimes hodie Prædicatorum Cæli, non suam, sed enar-*
(l) *ibidem. rant Gloriam DEI, non sua, sed opera manuum ejus Stellatum hoc in-*
(m) *Massou- cet Animæ purissimæ (m) sive per infusionem supernam, sive per re-*
lied 10: 2. in velationem internam, omne plusquàm humanæ Sapientiæ Ver-
commend: bum feliciter instillat.

Doctr. S. Tho-
mæ.

Et hanc Diem Diei Verba eruantem, hunc Solem à Sole Illustratum, hoc Lumen de Lumine Succensum mea hodie quantumvis obtusa intueri præsumpsit acies, AA. OO. dum celeberrima hac Aquinati Sacrata die Doctrinam ejus Angelicam ipsâ die clario-rem, ac de die in diem succrescentem sub titulo unius Diei ab altera Die illustratæ intra breves hujus diei angustias dimetiri gestit. Sapientiam supernaturalem loquor Doctoris Angelici, quam Sapientia Divina, tanquam Dies æternitate mensurata Menti Angelicæ Magni Aquinatis, quasi Diei Lucidissimæ infundendo, in nova quadam mystica sui Archetypi conditione sex dierum spatiō studiosissimè produxit, ac tandem in ea, ut in Die septima à se sanctificata perpetuam sibi requiem efficacissimè elegit, Cujus equidem Sapientissimæ Diei elucubrandæ Gloriæ fateor non una mihi sufficeret dies, imò eam non adæquaret ævum, postquam & Dies Divinus æternitati dictasset quæ tradidit, & Dies THOMÆUS æternitati scripsisset quæ edidit, unam tamen mihi diei hodiernæ minimam faveri cupio morulam, ut ex laconico etiam dictionis momentulo incomparabilior Diei Thomisticæ pateat magnitudo. Favete igitur obscuræ nocti tam clarum depromere Diem, nec enim, quantumvis cæcutiens animus, aliter hodie quàm de Die loqui potuit, si vel ipsa carduelium hæc natura est, ut solum de Die canant, non de Nocte. (n)

(n) *Allusio ad cognomen Oratoris.*

Fac-

Factum est vespere & manè dies unus. (o) Sic universi hujus or-
 ditur prothogenesis: Sic Aquinatis inchoatur idea. Quan-
 tus THOMAS! In quo efformando eodem propè conatù ope-
 rata cernitur superna Omnipotentia, quo universi olim machinam
 fabricabat. Ibi occupatus ad extrà infinitis Archetypi sui exempla-
 ribus *in principio creavit DEUS Cælum & Terram* (p), & quid aliud
 in producendo molitur THOMA? Sive enim cum Aurelio cœli hu-
 jus nuncupatione intendas *Angelos* (q), ac terræ nomine *corpoream*
Creaturam: an non jam Cælum & Terra in uno quoque fœderan-
 tur Aquinate, ubi futurus *in carne Angelus* in mundum prodit? sive
 cum Basilio (r) sublimem illam Divinitatis ac Beatitudinis Sedem in
Empyreo tunc stabilitam dixeris, ad quam raptus posthac in extasi
 evolaverat Apostolus: dicam ego in præclara pusilli THOMÆ anima
 jam tunc vastissimum DEitatis ac Beatitudinis ad extrà ominatum
 fuisse Thronum, dum adhuc ad intrà terrenis Materni uteri angu-
 stijs clauderetur; hic videlicet denuò formabatur *Empyreum*, quò in-
 terpretandus Apostolus revoleret. Quamquam enim in THOMA
 terra originariæ sterilitatis labe adhuc esset *inanis & vacua, & tene-*
bræ secundinæ *super faciem* hujus *Abyssi* volverentur, jam tamen *Spi-*
ritus DEI ferebatur *super aquas* (s), dum tantæ Sanctitatis ac Sapien-
 tiæ futurus prodigium oriebatur *Aquinas*. Nondum lucem viderat
 Illustrissimus hic cœli partus, nondum primam vitæ suæ cæperat di-
 em, & en jam in ipso vespere Nobilissima Theodora Prophetico Va-
 ticiniò exultans exceperat *Bonum manè*, dum futuræ tantæ Lucis
 nuncium, non solonomine, sed & omine *Bonum* inaudijt (*), seque-
 jam inter obscuras parturientis uteri latebras *Diem* gestare jucundis-
 simum gratulata est.

Quanta interim ferventia Materno sub pectore suscitabantur
 votorum suspiria! quot amorosæ à gemina nobilium pupillarum
 scaturigine prorupere stillæ! quot agitatae ad sublime Divinitatis
 centrum evolabant amoris flammulæ, optatissimam illam assidue
 præstolantes è Cœlo diem, quâ tam gloriosus orbi universo *Dies*
 inclaresceret, ac infallibili Divinitatis Decretò, feliciter statueretur
Fiat Lux (t). Nec mora, divinò namque jussu rumpuntur in pro-
 digioso Microcosmi hujus ortu obstetricantis naturæ repagula, tene-
 brosus referatur Thomiparæ carcer, & lux de luce in lucem feliciter
 prodit, ut illustret. Ad unum nempe efficax prædeterminantis Pro-
 videntiae *fiat illico facta est Lux* (u), dum ortus THOMAS; nescio an
 jam tunc Angelus an homo, ipsi Cœlo & terræ præfulgere cœpit.
 Id unum scio, primævâ illâ universæ creaturæ Luce *decorem gratiæ*
in Beatis Angelorum Spiritibus à principio productum Hipponensis ef-
 fatò Præfulis indigitari (w), ubi nempe præcipitatâ in orcum rebelli
 contumacium ambitione, *divisit DEUS lucem à tenebris* (x), eamque
 diaphanis Empyreï locatam sedibus ineffabili prædestinationis myste-
 riò segregavit. Sed annon & hic denuò vel *Angelum electum* in THO-
 MA, vel THOMAM *electum in Angelo* contempler? Audeo dicere: in
 uno hoc novo in terris Angelo videbatur DEUS simul & *condens na-*
turam, & largiens gratiam (y): vix enim nascebatur THOMAS; jam
 gratiosior Angelò prodibat, quando Angelicam, quâ olim cœlitus or-
 bi toti affulsit gratia, tenellis agitare volulis, ac pusillo absorbere pec-
 tusculò anhelavit salutationem. Capiò mysterium! tunc videlicet
 primus in THOMA illucescebat Dies, qui olim Diei Divino suum in
 Tomis ingentibus eructaturus Verbum, illud prius in chartula in-

(o) Gen: 1.
v. 5.

405

(p) Gen: 1.
v. 1.(q) Cherub:
in Critica
Sac: 10: 2.
disp: 1. art:
2: §. 1.(r) Apud D.
Th: 1. p. qu.
66. a. 2.(s) Gen: 1.
v. 2.(*) Eremita
Bonus nomi-
ne, futuram
D. Thomæ
Sanctitatem
& Sapientiã
prophetavit.(t) Gen: 1.
v. 3.

(u) ibid:

(w) S. August:
lib: 11. de Ci-
vit: DEI,
cap. 7.(x) Gen: 1.
v. 4.(y) D. Augu-
stin: de Ange-
lis.

fantibus deglutire labris properabat. Quam præclarus bolus quo deperdita Proto-Parentum reparatur in THOMA Saturitas, quo fames ardentis naturæ per gratiam restauratur. Bonum manè bonum manè Angelice THOMA! proficiant tam benè conditæ Angelicæ dapes! Si enim jam præmaturè tam solidum palato Tuo jentaculum Christipara suppeditat Aurora, hem! quanta per diem hanc sibi Sapientiæ convivia, quàm opiparas Eucharisticarum deliciarum coenas universus ominabitur orbis? Nec fallatur, si enim tam prodigiosum cernit diluculum, quàm prospera futura sit dies, facile est prognosticare. Imò dixisses jam purpureascentem in prima Luce THOMAM quasi Solem exardescere in meridie, tantum distabat ab infantilibus crepundiarum umbris; aded tenaci libros volvebat dexterulâ, ut abjectis pueritiæ nucibus Scientiarum tunc iliades in nucem compendiare videretur, solis aut chartis distrahebatur aut aris, geminam in se Sapientiæ ac Sanctitatis Lucem contracturus.

Cujus utriusque Lucis primordia, ut jam in nobilissima ætatis primula incalascere ardentius, à Paternis laribus ad montis Cassini apicem sunt translata, quatenus, si passim alias refracta intuitum fallatur pupilla, dum Auroram surgentem ab incunabulis quasi ex montibus nasci autumat, non tamen in THOMA fallatur augurantium Vaticinium, dum ascendente inter Benedictos asceticæ solitudinis parietes novò Phosphorò, Diem Ecclesiæ prorsus Benedictum præfagiat. Viderunt quinquennem Herulum decumanæ perfectionis Patres, sed ubi vix intelligentiæ speraverant ortum, jam offenderant in meridiem, qui enim rudimentorum nondum Tyro, jam plus quàm Theologus prodiit Examiner. Prima illi quæstio: *Quid est DEUS?* quam sanè nemo in obscura Fidei nocte dilucidet, soli electi suam longæva æternitate mensurantes diem quidditative resolvant, non per naturam, sed per Gratiam consummatam. Sic

(2) Ps. 118. infans THOMAS jam *super Senes intellexit* (2), & illis percontantibus v. 100. quid esset *Musa?* ille ulterius declinans quærebat: quid esset *Dominus?* ut se non *noctem à nocte* informandam, sed *Diem* probaret esse, ab alio jam *Die* illustratum. Quid hic inferret humana Solertia? Novit illa non contemnendos parvulos in Angelis, *qui semper vident*

(a) Matth. 18. v. 10. *faciem Patris illius, qui in cælis est* (a), sed hic non jam ambigebat *Angelum in parvulo*, qui primis quoque innocentiae pupillis *quidditative* DEI sollicitaverat cognitionem. Sic nempe nec Lux in se ipsa crescit, dum intendi conspicitur: nec adolescunt Angeli, dum infantum effigiantur specie: nec THOMAS ad maturitatem gradatim crescit, dum in eo, si in alijs malitia, hic singularis bonitas prævenit ætatem. *Vidit hoc DEUS*, & perpendens in THOMA *Lucem*, quod esset bona (b), successiones ejus adauctis Splendoribus dispensavit, unde consummatò jam in aurora cognitionis meridie, *factum est* anticipante DEI potentiâ, solum *Vespere & manè* in T H O-

(b) Gen. 1. v. 4. *factum est* anticipante DEI potentiâ, solum *Vespere & manè* in T H O- (c) *ibid. v. 5. M A Dies unus.* (c)

An non igitur jam tunc in aded uniformi sui cum universo conditione gloriari potuerat Aquinas illis Sapientiæ verbis: (d) *quando preparabat cælos aderam, quando certâ lege & gyrò vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum?* quidquid enim sive in *preparatione cælorum* celsitudinis, sive in *abyssorum vallatione* profunditatis, sive in *ætheris firmatione* soliditatis, sive in *fontium libratione* redundantiae adhæferat, id totum mysticè ab Architectante Sapientia in unum hunc Microcosmum transijisse videbatur. Sor-

de-

debat ei terra, dum *Cælum* aspiceret, tædebat animum externa superficies, dum in *abyssum* humilitatis cognitione sui nihili absorbere-
tur: horrebat instabilem sciolæ curiositatis arundinem, uni felicitatis suæ scopo immobiliter inhærens: fastidiebat inanis eloquentiæ *profusvia*, dum non per terram profana Tulliorum eloquia profundere; sed sacratoris eruditionis *fluenta* super Firmamentum supernæ veritatis sublevare conabatur.

Et en jam *opus diei secundæ* in THOMA! ubi Sapiencia Divina, præcipuum hoc Potentiæ suæ adornatura specimen, *dividit aquas ab aquis* (e), seu: *Aquinatem* separat ab *Aquinatibus*, illisque super terram sub Firmamento relictis, THOMAM supra Stellatum Prædicatoriæ Religionis cælum exaltat. Scrutentur jam Scripturarum interpretes *aquarum* quæ super Cœlos sunt admirabilem naturam, quam alij cum Pererio (f) *diffluentis elementi* conditionem imbibisse commentantur, alij (g) in condensatam cœli diaphani abiisse *crystallum* autumant, utrumque ego in THOMÆ jam Novitij sublimatis virtutibus sentio redundare. *Difflebat* ille indies in amorosissimas pietatis lacrymas, easque æstuante in suo pectore Divino ardore ebullientes arte quadam hydraulicâ non modò super firmamentum, sed & ad ipsum usque Empyreum impellebat, *ut fluminis impetus lætificaret civitatem DEI* (h); *densabatûrque* insimul in *crystallinum* omnigenæ Sanctitatis speculum, in quo vel ipsi Veterani perfectionis Affecclæ haberent quod imitentur: imò in cœlesti hoc *mari vitreo* ipsa quoque Divina Bonitas singulare sui repræsentari ectypon lætabatur. Nunquam habuit claustrum jucundior *Diem*, quàm in THOMA, nec unquam THOMAS jucundior *diem* expertus est, quàm in claustro, hic enim Firmamentò ipso sublimior, Empyreò vicinus, assiduïs Divinitatem Laudibus deperibat, inter quas *factum est THOMÆ vespere & manè dies verè secundus*. (i)

Verùm non diu *opus diei* tam secundæ Aquinati affulsit, siquidem de avulso sibi tam nobilis Crystalli pretio querulosa fraternarum sub Cœlo aquarum invidia, agitatis in cælum usque fluctibus feram THOMÆ suscitaverat tempestatem. Grassanti par diluvio videbatur seditio hostilis, & Aquinas quantumvis solitariâ reclusus arcâ non carebat procellis: verè *inimici THOMÆ domestici ejus*, qui proprii obliti Sangvinis persequiebantur *aquam*, donec illa secundo obedientiæ flumine decurrens, in *Aqua pendente* Urbe Italiæ instructis technarum cataraclis sisteretur. Hic violentâ cogitur manu *contra torrentem niti*, & in *veterem cisternam* à Fratribus refundendus cælicus liquor, rapacibus cedere undis necessitatur. Vix maternis repatriat laribus, jam *congregantur aquæ quæ sub Cœlo sunt in locum unum*, & *apparet arida* (k) *Rocca Sicca* (l), novos videlicet aggeres cælestibus Aquinatis undis præbitura. Mater aliàs Illustrissima, ut *Aquam* tam Illustrem de Cœlo ad terram attrahat, *aquam* de terra propinat in lacrymis: Sed THOMAS in condensatas firmatus cœli aquas, transijt in adamantem, & factus *Cælum Crystallinum* jam incorruptilis est. Succedunt plenò *torrente* Sororum lenocinia, sed diffluunt, ut *aqua*, non movent. Instat calidior, quia callidior Fratrum, comminantium metus: Sed non cadit in Virum constantem, quia cadit in *aquam* constantē. Dilaceratur candor Vestiû, sed sublati nubibus edo candidiùs cœleste serenatur Diaphanum: & ubi priùs THOMAS habitu *inventus est ut homo*, (m) eo discerptò, nunc animò immutabilis invenitur ut Angelus. Toto annò laborasset universa

C

406

411

(e) Gen: 1.
v. 6.

(f) in Gen:
lib: 1. Cap: 1.
(g) Cherub:
critica Sac:
to: 2. disp. 2.
art: 2:

(h) Psal: 45.
v. 5.

(i) Gen: 1.
v. 5.

(k) Gen: 1.
v. 9.

(l) Castellum
Comitum de
Aquino.

(m) Philipp:
3. v. 7.

carnis astutia, & in THOMA non vicisset unum *Diem*. Vertit ergo *diem in noctem*, & obscuris Lucem aggreditur tenebris captivatam: Sed quid THOMAS? Alter Socrates carcerem se ipso nobilitans, *noctem ergastuli vertit in Diem* (n) ipse *Dies* in Diaphano Divinae Lucis revibratus. Nec satis: adhuc & ipsi ex impura aqua falsugine olim exorti Cypridis instigantur arcus: Sed *aquam Coelestem* non penetrant, imò assumpto contra lubricum torrentem torrente ab abyssu in abyssum præcipitantur. Sic devictæ sunt *aquæ multæ*, quæ *exstinguere non poterant Charitatem*; sic absorpta sunt *flumina*, quæ illam non obruunt (o) & purissima THOMÆ *CrySTALLUS* ab ipsis *aquis quæ super cælos sunt* in novum cincta est Cymelion, si cum Origene effari liceat, etiam *cælestibus* in *aquis Angelos* insinuari (p).

Quid interea Prædicatorum Cælum? audeo dicere, id in Limbo transiisse, sublatò enim sibi *Cælo CrySTALLINÒ*, quod primi mobilis continuo deservit circulo (q), cessavit in THOMA motus primi mobilis, cessavit *dies*, & luctuosâ continuæ noctis caligine tam diu Patres in Limbo suspiraverint: *Rorate Cæli!* donec *aquæ super cælos* feliciter etiam in sporta reducerentur. Revolat tandem suum ad Cælum Angelus, post Gloriosam in terris luctam pristinae Cæli Militiæ daturus operam: adauget circulares cœlestis pietatis ac Sapientiæ motus, & qui communes virtutum metas non decurrere, sed supervolare didicit, ad instar nubium jam Neapolim irrigat, jam Romam illustrat, jam Lutetiam Parisiorum adornat, jam Coloniam Agrippinam magni Splendoris sui Famâ condecorat. Magnum hîc Albertum Magistrum obtinet Magnus THOMAS, nec surrexisset alius Alberto Major, nisi Discipulus fuisset supra Magistrum.

Audit Philosophorum Antesignanum novellus Tyro, & subtilitate naturam superat. Excipit sublimia Theosophiæ dogmata, & quasi *noctem nocti* Scientias indicantem silens *ruminat*, vel inde præmaturò damnatus sarcasmò *Bos mutus*. Thomas Bos mutus? an forsan exoriente jam *tertia* conditionis suæ *die*, dum *germinat terra herbam adeò virentem & facientem semen* (r) ineffabilis futuræ Gloriæ, jam THOMAS de fructibus suis *scænum quasi bos comedit* (s)? an forsan contra infensos Ecclesiæ hostes jam tunc *scænum in cornu* (t) attollens, pravitatis heterodoxæ *trituratorem* ominabatur, illibatum os sibi reservans, non amplius *alligandum* (u)? nocturna sunt hæc Symptomata! THOMAS in terris mutus est, in cœlis loquitur: ubi *nox nocti indicat Scientiam*, ibi tacet: ubi *dies diei eructat Verbum*, ibi etiam sine verborum strepitu angelicè discurret. Sic videlicet Sidus adunatum Ecclesiæ non melius prælucere debuerat, quàm in *Capite Tauri*, in quo *micantes junguntur Plejades*, Orbi rigando destinati (w), seu efficaciori D. Gregorij allegoriâ divisi aliàs copulantur Ecclesiæ Doctores, in aurea THOMÆ Cate-na eò fulgidiùs in orbe resplendentes, dum ille unione ineffabili *omnium simul Doctorum sortitus est intellectum* (x). Dixerat olim antiquitas: *visò Solone omnia vidisti: in hoc sunt Athenæ, in hoc tota Græcia* (y); aptius ego de THOMA dixero: *visò illo omnia vidisti*, in hoc enim plus profuerit unus *dies*, quàm alibi sæculum impendisses. Sed si THOMAS *Dies*, cur humana eruditur à *nocte*? Si cœlitus illustratur, cur terrenas Scholarum frequentat leges? Hæc videlicet olim perfectio fuerat Christi, præter infusam Scientiarum Lucem acquisitis insimul adornari speciebus (z); hæc & THOMÆ prærogativa, geminâ gaudere Sapientiâ, infusâ & acquisitâ: nec enim interpolatio *noctium diem* obscurat, nec *dies nocti* suam invidet vicissitudinem. Cæperant, teste Au-

(n) Job. 17.
v. 12.

(o) Cant. 8.
v. 7.

(p) Cherub.
in Cris. Sac.
disp. 2. art. 2.

(q) Cherub.
ibidem.

(r) Gen. 1.
v. 11.

(s) Dan. 4.
v. 30.

(t) Alex. ab
Alex. gen.
dier. lib. 5.
cap. 15.

(u) 1. Cor. 9.
v. 9.

(w) Job. 38.
v. 31.

(x) Cajet. in 2.
q. 94. a. 4.

(y) Masson.
liè to. 2. D.

Tho: interp.
in comm. 8.
Thom;

(z) D. Thom. 3.
p. 9. art. 4.

reliō (a) *primæ dies cum noctibus*: cæperat sublimis THOMÆ cognitio cum acquisitis Scientiarum principijs, ut videlicet inter DEI perfectæ opera etiam *vespere & manè* fieret *dies tertius* (b).

Sed jam desinit triduanum Doctoris Tyrocinium, dum exortâ divinitus in pectore Aquinatis perfectâ Luce, in ea juventutis ætate eum Doctorem admirata est Sorbona, in qua vix alij propriè maturantur in discipulos: nam *viginti quinque annos natus Parisijs Magister est appellatus*. (c) O felix Gufmannæ Lucis Firmamentum! cui tam præclarum *Luminare majus* accrescit, dum ad novum Sapientiæ Divinæ fiat informis adhuc antea Solis Angelici Splendor ad augem deducitur, ut publicis Doctrinæ suæ radijs *di-vidat diem ac noctem, & sit in signa, & tempora, & dies, & annos, ut luceat in Firmamento cœli, & illuminet terram* (d). Non abs re igitur gratulabunda in eo suspicit Universitas illa (e) celeberrima: *Universalis Ecclesiæ lumen præfulgidum, & Universitatis Candelabrum insigne ac lucens, per quod omnes, qui vias vitæ & Scholas Doctrinæ Sanæ ingrediuntur, lumen viderent*. Effulsit hoc Lumen quoad ornatum, cujus jam antehac Sapientia quoad substantiam relucebat; & quemadmodum opus quartæ diei non creationem, sed solum *virtutem ac determinationem Solis ad suos effectus* (f) contulit, sic THOMAS non in Doctorem tunc creabatur, sed solum ornabatur: addidit in Epomide novam auroram Eximia Purpura, cui Lucem meridie clariorem jam prius infuderat Sapientia superna, quam proinde etiam ille *Rigantem montes de superioribus suis* primo adorandam themate non sinè Divino numine assumpsit (g). Soli nempe Divino Soli sua deberi parælia: Soli illi Soli Angelicam suam, qua pollebat, sublimitatem subesse, soli *Diei æternæ suam clarissimam Diem* relucere, contestatione gratissimâ profitebatur. Perpetua hæc THOMÆ vox: *quidquid sciret, non tam se studiō comparasse, quàm divinitus traditum accepisse*. Alterum dixisset Areopagita Hierotheum, qui *Doctus est, non solum dicens, sed & patiens Divina* (h). Huc illæ indies iteratæ abstractiones mentis, cœlestes extases, quibus ad superna Divinitatis Lycea adeo rapiebatur, ut dñi noctûque Religiosis suppetijs nutricis loco indigeret. (i) Huc internæ tot abditorum revelationes, quas protractio per triduum mentis deliquiō tantâ voluptate in castro Sororis suæ persenserat, ut *exisse de Patria corporis in regimen Spirituum videretur* (k); hinc levatō per Reginaldum triduoano sopore animi, gravi suspiriō jacturam tanti pretij querulabatur: *Heu! inquit; quanta & qualia contemplationi meæ objecta subtraxisti!* At quid lamentaris THOMA de subtractis cœlestibus arcanis, quæ tibi tam familiaria cœlum reddidit, ut ea teste Ferreriō *ad nutum haberes* (l)? quid quereris de interrupta extasi, qui continuam quasi in Pathmos senseras Apocalypsim? si enim nunquam te studio vel scriptioni nisi post orationem dederas, ac *fermè semper cùm te orationi dares in extasim rapiebaris* (m), an non igitur tota tua vita in unam abiisse extasim videbatur? nulla dies Apelli fuerat sinè Linea: nulla dies THOMÆ sinè egressu mentis; nec mirum, nam sicut Scientiæ acquisitæ humanæ sub abstractionibus à materia, sic Scientia infusa THOMÆ sub abstractione etiam à corpore cadebat. Vixit THOMAS inter homines, sed *sive in corpore, sive extra corpus, nescio, DEUS scit* (n): vixit (ut de Joanne olim Os aureum) *Spiritu homo, gratiâ Angelus, in quo nihil carnis erat, sed sola visio* (o) & ubi aliorum cognitio à sensibus dependet, hujus intellectio sensationem impediēbat, dum præoccupandis passim externis doloribus Studium THOMÆ fuerat Panacea; hoc nempe proprium est Angelis per species infusas objecta

(a) S. August. apud Cherub: crit. Sac. disp. 2. d. 6. §. 1.
(b) Gen. 1. v. 13.
(c) Breviari: Præd:
(d) Gen. 1. n. 14.
(e) in Decretis edito A. 1315.
(f) 1. p. q. 2. 67. d. 4. ad 2.
(g) D. Thomæ primum thema cœlestis revelatū in vita.
(h) D. Dionysius lib. 2. de divinis nominibus.
(i) Reginaldus in oratione: fufneb: Tho.
(k) S. Bernardus lib. 5. de consol. sol: cap. 1.
(l) D. Vincens Ferrer: serm: de S. Thom:
(m) Reginaldus & alij in vita
(n) 2. Cor. 12. v. 3.
(o) Op: in perf: c. 27.
con-

contemplari. Hinc assidua THOMÆ cum Angelis vitæ consuetudo, quò unum cum Doctore suo fecere Collegium, imò si juxta Augustinum per diem intelligitur cognitio mentis Angelicæ (p), eandem simul diem jam tunc ævò mensurandam consumpserunt. Nec Scholas THOMÆ dedignati sunt Apostolorum Principes, nam Petrus tanta in THOMÆ viderat, quæ caro & Sanguis non revelavit (q); Paulus verò in suo Interprete ea reperit inter quotidianos excessus, quæ sibi semel raptò (r) 2. Cor. 12: non licebat homini loqui (r). Ipsa DEIPARA, quam THOMAS jam nascens præ amore devoraverat, nunc Verbum Divinum eructantem adjuvit, ut quod illa carne conceperat, Aquinas mente concipere mereretur. Et quid infertis AA. OO. hæc Doctrina inter meras dictata extases, toties repetita inter cœlites, non sit Doctrina cœlestis, Doctrina supernaturalis? profectò purè naturalis esse non poterat, quam Dies Divinus Diei Angelico non obscurè solùm indicabat, ut alijs fidelibus, nec solùm internè inspirabat, sicut Prophetis, sed tantà Luminis plenitudine inter meras extases & raptus eructabat (*), ut abundantissimâ Spiritus ubertate ingenium Aquinatis supra seipsum elatum non jam Divina Mysteria solùm obscurè credere, sed & quasi clarè intueri videretur; eò tamen felici discrimine, quòd, dum Beati Essentiâ DEI seipsam representante non producant Verbum, THOMAS tamen ut Viator affligens duâ Divinorum contemplatione illud vicissim eructaverit. Rectè ergo intulit Romana Sedes (s), eam Doctrinam Divinam THOMAM non absque speciali DEI infusione perfecisse. Rectè eam Clemens VIII. Divinum eloquium, & cœlestem Doctrinam appellat (t). Rectè admiratur Purpuratus Princeps Rogerius (u) eum tot & tanta, tam profunda & altiora brevi Anno scripsisse, ut mirabile sit, quòd ad hoc potuerit sufficere tempus vitæ suæ, unde, inquit, videtur impossibile, nisi fuerit à Spiritu Sancto. Ex quo tandem colligit Doctrinam istius Sancti esse veram super omnes Doctrinas Doctorum modernorum. Et sanè, sufficisset pro Doctore in Ecclesiâ omnigena Sapientia etiam acquisita; at pro tanto futuro Ecclesiæ Doctore & Patre Electo, Singulari opus erat Lumine ab ipsa quoque Divinitatis Die eructando. Agnovit hoc Sanctissimus Ecclesiæ Antistes Pius V., & Doctrinam hanc Divinitus eructatam tanquam certissimam Christianæ Doctrinæ Regulam est veneratus: utpote quæ suffragiò Innocentij VI. (x) præ cæteris exceptâ Canonicâ habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem Sententiarum, ita ut nunquam qui eam tenuit, inveniat, tur à tramite veritatis deviâsse, & qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus, quia nempe qui cum THOMÆ studet, studet de die, qui diem negligit, studet de nocte, & facile obdormit. Omnis Doctrina bona est, sed cœlitus inspirata bona dies, humanitus acquisita bona nox: siquidem nox nocti indicat Scientiam, dies verò diei eructat verbum. Hoc movit quasi universas universi hujus Universitates, ut Doctrinam hanc, sinè ullo prorsus errore scriptam (y) venerarentur, aut secutarentur: hoc movit plurima SS. Religionum instituta, ut S. THOMÆ Doctrinam tanquam Benedictam & Catholicam totis viribus amplexarent (z); hoc movit ipsas Oecumenicas Ecclesiæ Synodos, ut ad THOMAM tanquam ad Lydium Lapidem, si quid ambiguitatis aut controversiæ exortum esset, communibus votis referrent (a): hoc movit ipsam infallibilem Apostolicam Sedem, ut Doctrinâ illius tanquam chæpeo ad Hæreticorum tela feliciter eludenda uteretur (b). Omnipotentis enim DEI Providentiâ factum est, ut Angelici Doctoris vi & veritate Doctrinæ, ex eo tempore, quo cœlestibus civibus adscriptus fuit, multæ quæ deinceps exorta sunt hæreses, confusæ & convictæ dissiparentur (c); ad hoc

videlicet Sol iste in Firmamento locatus est, ut divideret Lucem ac tenebras (d), ad hoc à Divino Die illustratus est Dies Angelicus, ut ab actis nocturnis ac vespertilionibus heterodoxæ pravitatis, passu securior Fideles in Luce ambulant. *Conclusum contra Manicheos Regias* quoque inter dapes statuerat THOMAS in meridie, ubi Sol ferventiùs adversùs nebulas incalescit: Obscuras Guilielmi detexit insidias, Averrois intellectum universalem singulari suo intellectu efficaciter confudit; verbò, cunctis adversæ falsitatis umbris adedò *criticum* se probaverat diem, ut Sacrilegis Bucceri faucibus vociferari cogeretur infidelitas: *Tolle THOMAM & Ecclesiam dissipabo*: tolle diem, & obscuram fidei veritatem sophistica subvertam caligine, tolle Solem, & fatali damnatam Eclypsi Lucem Fidei ut Lunam mutabo. Sed apage miser tenebrio! Fulget hætenus in caput tuum Serenissimum Cœli fidus in suis radijs, splendet hætenus in columna Candidissimæ Nubis Doctorum Angelus, dùmque electum Ecclesiæ populum *per diem in Columna Nubis, & per noctem in Columna ignis* (e) comitatur, Tibi Nubes est tenebrosa, Ecclesiæ illuminans Noctem (f). Obmutescite teterrimæ tygis progenies, jam tua detecta sunt latrocinia, priùs quàm grafæ fereris, & ad novum Divini Josue imperium Sole contra Gabaon firmatò, Fidei velamen tam feliciter subductum est, ut ex obscuro Orthodoxæ religionis *vespere, & Lucidissimo Doctrinæ Thomisticæ manè* toti Romano cœtui exortus sit felicissimus *Dies quartus* (g).

Quantùm verò Ecclesiæ invisus hostibus, tantùm fidei proficiuus affecit Aquinas. Ferantur alij expansâ scientiarum classe in vastos Doctrinarum ventos, ad portum tam facile non appellant, ubi deest, sicut Angelica Pharus. *Judicet alius diem inter diem, alius autem judicet omnem diem, unusquisque in suo sensu abundet*: attamen qui sapit diem, Domino sapit. Scrutentur alij, sive naturæ, sive gratiæ arcana; vix tamèlùs profunditatem penetrant, quàm in hac *Abyssò*. Felix itaq; qui in hunc vorticem relapsus est, quem enim antehac Patres abominati sunt ethnicum, jam AQUINATIS baptizatum aquâ scholæ venerantur Magistrum. Gratia Augustino! qui singulari Lumine Gratia Gratiâ illustravit. sed & Gratia THOMÆ! qui per singulos propè articulos duplicem Aurelij spiritum in se transanimans, profunditatem Aurelij fecit perviam, & mare inscrutabile in scrobem digessit, par Augustino in gratia, par in Gloria (h). Felix omnis anima vivens atque innotabilis (i), quæ Abyssì hujus limpidissimis imbuta undis, ineffabile illud *sagenâ missæ in mare* (k) mysterium efficaciter scrutari meruit; liberè natat, & sub *Annulo Piscatoris*. Felix omne ingenium volatilis (l), quod non alias quàm Angelicas extendit alas; hac enim altitudine solius causæ primæ motibus delectata meditatio, seipsam despicit, terrena contemnit. *Felix foret Orbis* (Purpuratò Casanate suffragio) si una *Angelici Doctoris D. THOMÆ AQUINATIS Doctrina* ubique obtineret: nulla forent in Orbe hereses, nulla in morali relaxatio, nulla in mystica Theologia execratio, esset denique *vespere & manè dies adinus*.

Cui tandem Creatrix Sapientia suam in sexto conditionis universi opere perfectionem addidit, dum productâ omni animâ vivente hominem ad Similitudinem ac imaginem suam perfectum, supremò ei Dominio præfecit. Non ego hic differo AA. de Dominio THOMÆ quadrupedia, quò tanquam alter Angelus etiam asinas Balaam ad loquelam animasset, contemplor etenim jam THOMAM non ut Angelum, sed ut hominem sensualitati propriæ dominantem, & Scientia-

(c) Pius V. in Bulla Ann: 1567.
(d) Gen: 2: 28.

408

(e) Exo: 13: 21.
(f) Exo: 14: 20.

(g) Gen: 1: 19.

(h) ex Revelat: in vita,
(i) Gen: 1: 21.
(k) Matth: 13: 47.
(l) Gen: 1: ut supra.

- rum ac virtutum omnium apice decoratum. Et verò si primus homo ad similitudinem DEI conditus omni Scientiarum Divinarum plenitudine supernaturali ornandus fuerat ideo, quia futurus erat *aliorum* (m) 1. p. qv: principium per instructionem & gubernationem (m), quomodo THOMAS negabimus omni Sapientiae supernaturalis Divinitus eminuisse praeogativam, quem DEUS prae ceteris elegerat Doctorem universi? si (n) *ibid. q. 95. art. 3.* *rectitudo primi Status hominis conditi exigebat, ut aliquantulum omnes virtutes haberet* (n): Quomodo noster AQUINAS, in cuius conditione tantopere eluxit Sapientia Divina, non fuerit Virtutum omnium Sacrarium consummatum? certe adeò inferiores sensualitatis vires suppresserat rationi, & tanto fœdere rationem subordinaverat DEO, ut eum quasi in se innocentiae renovasse statum coeva suorum testata fuerit conversatio. Et si tandem *hæc rectitudo non compatiebatur aliquam Deceptionem circa intellectum* (o), quid jam de veritate Doctrinae hujus Sancti concludam? inferte vos AA., ego à sequela abstineo, dum Doctrinam THOMAE, non ita THOMAE quam DEI recognosco. Recognovit hoc ipse THOMAS, unde quò sublimioris fuerat Scientiae, eò profundioris erat humilitatis, ita ut, *si tot fecit miracula, quot scripsit Articulos* (p) Joann: XXVI. *viva* (p) majus omnibus tamen patraverit miraculum, tantam celsitudinem tantæ submersioni adunando: & si patrare miracula Divina est virtutis (q) in confirmationem veritatis Doctrinae, quid iterum inferamus? sed non ego loquor, ubi DEUS ipse Suffragium decernit: sublatum etenim cubiti altitudine à terra Sanctissimo Doctore, sequens irrefragabile fertur ex Cathedra Crucis encomium: *bene scripsisti de me THOMAS*. Sic videlicet in Orbis exordio *vidit DEUS cuncta quæ fecerat*, (r) *Gen. 1. v. 31.* *erant valde bona* (r), sic rursus in THOMAE Palladio *vidit DEUS cuncta quæ scripserat*, *erant valde bona*. Si solus homo scripsisset, forsitan solus homo laudasset: Sed ubi Doctrina non ex hominibus est, sed ex DEO, fas erat, ut & *Laus non ex hominibus esset, sed ex DEO* (s). (s) *ad Rom. 2.* Scripserat Moyses verba Fœderis, quæ digito DEI prius lapideis insculpta tabulis excepit (t): scripsit THOMAS verba Sapientiae tabulis cordis carnalibus insculpenda, & bene scripsit, quia non sola in illis erat manus hominis, sed & *digitus DEI est hic* (u). (u) *Exod. 8. v. 19.* Scripsit ergo, & omnia Summa scripsit, quia si omnis Scientia DEI est *summa* & nulla *media*, debuit & Scientia THOMAE in omnibus esse *summa*, in nullo *media*, dum à Scientia DEI derivabatur. Bene ergo scripsit, cui ipsa Bonitas Bene dixit. Et quomodo non benedixisset suo proprio operi Divina Bonitas? quomodo non approbasset DEUS, quod tanto molimine ipse in THOMA fuerat operatus? Nec poterat non esse Verbum bonum, quod Verbum ipsum, seu *Dies Divinus Diei* Angelico eructabat. Sex diebus hoc Verbum dixerat Sapientia Divina, sed mysticus hic Senarius exponente Augustinò (w) fuerat *unica dies*: Sex diebus hoc Verbum scripserat Sapientia THOMAE, dum partim in Philosophicis commentariis, partim in Sententiarum libris, partim in quaestionibus disputatis ac quodlibeticis, partim in scripturarum expositionibus, partim in utraque Theologica summa, ac tandem reliquis de omni scibili exantlatis opusculis, sex volumina multorum capacia voluminum posteritati reliquit, sex dies, attamen *unica dies*, quia *unica cognitio mentis Angelica* (x) semper veritati uniformis. Quanta dies in tot diebus non fuit antea, nec postea tam longa dies obediens Dominò voci hominis (y), quæ tamen tam longa dies brevis erat in THOMA, forsitan ideo prae maturè abrepto, nè laborantibus THOMAE affeculis videretur in eo longa dies, sed valde fructuosa, nam dum alij in turbido sæculi piscantes

mari iuste querelantur: *Tota nocte laborantes nihil cepimus*, ipsi in *Verbo Domini laxantes rete* (z) immensam ad captum capturam de die comprehendunt. *Hæc dies quam fecit Dominus* (a)! Dies Eucharistica, in qua panem in coena Domini obscuræ fidei appositum aded Divinitus declaraverat THOMAS, ut à cæna ad prandium translatus videretur. Sic nempe debuit denuò *Vespere & manè fieri dies unus*. Sed quam ergo mercedem accipies, qui tota die laborasti ô THOMA? *Non aliam*, inquit ille, *nisi Te Domine*. O quam præclare rursus *dies diei eructat Verbum*, si (inquit THOMAS) labor fuisset humanus, humanum capteret præmium, at tuum opus est ô Domine, non præmiatur nisi in Te; eadem enim est causa finalis præmij, quæ est causa prima efficiens meriti (b): nec motus perfectior est circulari, quia principium conjungit fini: sic moventur omnes cœli, sic *dies* omnes naturaliter recurunt. Sex igitur dies laboris complevi in Te, diem septimum quietis ubi quæram Domine nisi in Te? *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam* (c).

Define jam hic lamentari Luctuosa Prædicatorum Religio, dum in fossam novam illapsam Tuam THOMAM à te tolli inaudis; define cum Lugdunensi ingemiscere Synodo: *Amici! Diem perdidimus!* Dum enim Dies Tua ad vespertinum vitæ obscurari censetur, & ille qui alias Doctrinam coelestem etiam obdormiendo dictare consueverat, nunc dictando Cantica vicissim obdormit, non transit in noctem, sed factus est *vespere & manè Dies unus*, atque mystico Solstitio *Diem Judicij* pro suis electis præoccupans, postquam prius assiduò Solis cursu tam eximias Dierum successiones mensuraverat, nunc perpetuam in Ecclesia Triumphante æternaturus quietem, tibi militanti arma Lucis ac Diei tutissima & inconcussa [*] subministrat. Ergo etiam sic quiescentem, gratulare THOMAM, qui velut alter Samson *plures occidit moriens*, quam antè *virtus occiderat* [*], & dum in pace factus est locus ejus, ibi contregit potentias arcuum, scutum, Gladium, & Bellum [*]. Ita videlicet sicut *requievit Dominus die septimo ab universo opere, quod patrârat* [d], requievit & THOMAS die septimo; annon igitur sex diebus simul laborabant? requievit Sapientia Divina in se ipsa, quia sufficit sibi [e]: requievit THOMAS in ipsa Sapientia, quia sola hæc suffecit sibi. Et si teste ipso Angelico dicitur *DEUS requievisse, quia nos requiescere facit*, in quantum nos per solam DEI fruitionem Beati efficiamur: O Beata septima THOMÆ dies, ubi tam Beata quies solâ æternitate mensuranda, ubi cognitio *matutina* ac *vespertina* sinè successione *Diem Diei eructantem Verbum* condecorant. Sic quievit THOMÆ Dies in æterna Divinitatis Die: sic quievit Dies Divinus in perenni Doctrinæ Thomisticae Die, & quemadmodum ipso D. THOMA interprete [f] in tantum *quievit DEUS* productio mundò, in quantum implevit desiderium suum, & nil amplius novi producere statuit: ita eum in THOMA quievisse, seu desiderium suum implevisse dixero, ut nil novi amplius inter Sapientes producendum videretur, quod jam in transnaturali hoc Sapientiæ Microcosmo eminenter non præfuisset. *Benedixit* igitur Dominus *diei septimo & Sanctificavit illum* [g], nec minùs omni gratæ posteritati perpetuò Sanctificandum delegavit, nè ullus eum aut citrà sacrilegium profanare, aut adversùs ejus Sanctitatem unquam laborare præsumeret.

Agi-

(z) Lucæ 8.
v. 5.
(a) Ps. 117.
v. 24.

(b) 1. 2. qv.
1. 4. 6.

(c) Psal. 131.
v. 14. dictum
S. TH. ante
mortem.

(*) Sixt. v.
in Bulla An
1588.
(*) Judic. 16.
(*) Psal. 75.
v. 4.
(d) Gen. 2.
v. 2.
(e) 1. p. q. 73.
2. 2. in (c).

(f) 1. p. qv.
7 3. art. 2.

(g) Gen. 2.
v. 3.

Agite igitur Diem Festum hodie ab Angelico Sole vestro aded felicititer illustrati Thomistæ ! agite, & stimulante Sanctissimô cœlestis hujus Doctrinæ vindice BENEDICTÔ (h) Benedicta Doctoris Vestri opera Sole clariora, sinè ullo prorsus errore conscripta inoffenso pede decurre-
 1 pist: permod: Sole clariora, sinè ullo prorsus errore conscripta inoffenso pede decurre-
 Brevis data re, ac per certissimam illam Christianæ Doctrinæ Regulam, Sacro: San-
 A. 1724. ctæ Religionis Veritatem, incorruptæq; disciplinæ Sanctitatem pergite tueri,
 (i) Thessal. ac vindicare. Filij Diei estis, filij Lucis (i), Diem igitur vestrum
 5. v. 5. Diei Divinæ Sanctitatem decoratum, in cujus quietâ possessione tot Ec-
 clesiæ gratulationibus confirmamini, omni pietatis vestræ conatu stu-
 dete ampliare. Evolate geminis Doctoris Angelici pennis, & augete
 Sapientiæ Cœlum, in quo quasi stellæ Solis Vestri radijs illustratæ cor-
 ruscatis. Sic vestrâ tandem eluceſcet claritate, quod advesperascen-
 te obscuritate meâ non sat dilucidè de Die Diei Sapientiæ
 Verbum eructante

D I X I.





